

REGULUS

[15]

ACTIO DRAMATICA HENRICI IOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Quom mater coepisset acerba voce lamentarier
 Et parvoli circum omnes quiritassent, subsilit
 Et torvo vultu clamitat: « Uni sceleri alterum additum,
 Quid istuc curat maleficus? Rogationem pertinax
 Ego pol perficiam, sed dic ei, ne maturius
 Nequiquam gaudeat. Consul perstabit in officio
 Et mortem susque deque habebit ». Haec dixit, tamen
 Mersus acerbitate semianimis visus est.
 Bo. Et quid Atilia? — Mi. Veniet. — Bo. Actutum? sine mora?
 Mi. Sacra est modo factura dis penatibus pro Regulo.
 Bo. Deos immortalis eius misereat. I Micho,
 Benest, quod uxor ad illum venit. Lubenter ex malo
 Pol eripere velim et illum et Karthaginem. Experiar
 Licet, tametsi forte, quod specto, non adsequar.
 Quid ruminaris, Regule? Miseret me tui. — RE. Quid tu ais?
 Bo. Nam vita perditast tibi. — RE. Nihilne istac re peius est?
 Bo. Omnes mortales, qui in terra vivont, vitam expetunt.
 RE. Equidem factum expeto. — Bo. Nil facta proderunt tibi.
 RE. Quam falsa opinio! reapse miseret me tui.
 Nunquamne fugax fortuna tibi fuit advorsaria?
 Nihilne felici consilio, facto, continentia,
 Elatione viribusque animi conatus es
 Creare et laetari? Alienum bonum, quod per te fit, erit tuom.
 Itaque gaudium mille tibi viis in animum influet.
 Heu quantumst excitabulum mihi, quodsi omnes homines
 Circa atque per me se beatos esse existumant!
 O quam elatus est mihi animus! Ne tu, Bodostor, es miser,
 Si non me intelligis. — Bo. Laus est inanis, quam cupis;
 Nam tu pol in falsis honestatis imaginibus
 Cupidine huc illuc iactatus dolores inter somnians
 Horas vitae volucris omittis nec consideras
 Superbum somniatorem fortunam praetermittere
 Ob unum propositum, quod saepe casu naufragium facit.
 Praesenti, quod solum verumst, neglecto tempore
 Ipsum te fallere non putas fallaciter?
 RE. Ego nihil puto, nisi, meum quod est, agere officium.
 Bo. Numquid quemquam morti se tradere est officium?

(Ad proximum numerum).

ALMA
ROMA

QVIDQVID NON
 POSSIDET ARMIS
 RELIGIONE
 TENET

Per.
 Lat
 011

C. DEL VECCHIO.

Pauca exemplaria supersunt

IOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venundantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:


FRIDIANUS - FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus*).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad IOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

DE ITALICO PRIVATI IURIS CODICE RENOVANDO ¹

6. Primi tantum libri iam nobis praesto est prospectus ultimus cum relatione eruditissimi nostri administri et custodis sigilli, qui in emendando priore prospectu anni 1931 sedulo perpendit animadversiones undique interea missas in rebus tanti momenti; atque revera librum expeditionem, elegantiozem, breviorē effecit, aptiusque, siquid opinamur, ad romanam composuit maiestatem.

Quinque et quadringenti articuli codicis, in superiore prospectu ad quingentos octoginta unum diducti, modo ad quadringentos quinquaginta contracti sunt, quamquam in primis dispositionibus duodecim articuli codicis, aucti in priore prospectu ad viginti, nunc ad quattuor et viginti ampliati sunt, nec sine causa.

Tituli, qui in codice tredecim erant, eodem numero continentur utroque prospectu, licet primus codicis titulus de civitate deque iuribus civilibus fruendis in utroque prospectu plane deletus sit, novis suffectis titulis, altero de personis physicis, altero de personis iuridicis; quae nomina licet post Germanicos hodie Italicis quoque usi-

tatissima sint, nihilominus minus belle dicunt quod maiores nostri appellarunt « personae naturales et morales »; nam tandem physicae quoque quae dicuntur, quum sint subiectum iuris, iuridicae et sunt et merito dicentur.

Ut cumque nobis minus probatur quod de civitate nihil hic caveatur; num quia ad ius publicum magis quam ad privatum spectare ea videtur? At vero persona civilis, de qua hic cavetur, integra non apparet sine civitate: tria enim habemus, libertatem, civitatem, familiam. Sed quod adiuncti sint duo tituli ut seorsim iuberetur de personis naturalibus et de moralibus, quas Codex fere ignorat, id omnium votis facit satis et laude dignum.

Sequitur tum in codice cum in utroque prospectu titulus de domicilio; dein qui in codice et in priore prospectu est titulus de absentibus, hic, in prospectu ultimo, fit de absentia deque declaratione mortis praesumptae; quae declaratio ignota codici, recepta priore prospectu, hic multo expolitior est atque emendatior. De re nihil cavet C. I. C., quod incommodis non caret, quum plerique periti et iudices quoque ecclesiastici, uno codice contenti, praeteritis fontibus, facile decipiantur.¹¹ Succedit titulus de cognatione deque affinitate,

¹ Cfr. fasc. sup.

¹¹ Cf. Prosp. I a. 82 et Prosp. II a. 70.

tum titulus de matrimonio (in cod. V; in prospectibus VI); qui tamen in priore prospectu auctus ea parte quae de iuribus patrimonialibus huc e libro tertio, tit. V Codicis deducta erat, nunc auctior politiorque apparet, quamquam non sine mendis, ea parte qua res aptius ad «Concordatum» componuntur. Qui in codice est titulus VI de filiatione, in utroque prospectu fit articulus VII eodem nomine, sed oh! quam auctus quamque mutatus, plerumque proculdubio in melius, ordine rerum, elegantia formae perspicua et cumprimis iustitia et aequitate, in iis praesertim quae illegitimis cavent liberis tuendis; licet et hic mendae non deesse videantur, quas alibi indicabo.

Sequitur titulus de adoptione (in cod. VII, in prospectibus VIII), de patria potestate (ibi VIII, hic IX), de tutela deque emancipatione (ibi IX, hic X), de interdictione deque inhabilitatione (ibi X, hic XI); titulo decimoprimo codicis, qui erat de libris tutelarum et curarum, sublato et contracto in articulum 478 prospectus prioris et eo elegantius in art. 419 ultimi, optimo sane consilio novus interiectus est titulus (in utroque prospectu XII), qui in priore inscriptus est de officio alimentorum, in ultimo autem simplicius atque forte communius de alimentis. Item qui in codice est titulus XII de actibus status civilis, in prospectibus factus est titulus XIII et ultimus, sed in priore prospectu res aptius uberiusque est definita quam in hoc, ubi pauca tantum innuuntur; cuius rei rationem Solmi administer dat quod de statu civili iam iam nova lex adparatur; sed non video curnam haec eadem lex non inseratur et absorbeatur in hunc Codicis librum; ubi enim de statu personali definiendo aestimandoque cavetur, ibidem rectus rerum ordo expostulat, siquid opinor, ut etiam de eo comprobando caveatur; quae omnia ad primum hunc de personis librum proculdubio spectare videntur.

7. Libro huic primo in prospectu de quo loquimur adiectae sunt duo appendices, quarum altera normas dat temporarias, quae etiam «intertemporales» aut «exequentionis» dicuntur,¹² altera vero quasdam exhibet normas processuales, quae ad rationem spectant, qua expediendum sit negotium de absente deque mortis praesumptae declaratione; quae normae iuxta complurium vota erunt aptius ad codicem proceduræ civilis amandandae.

8. Aliud erat plurimorum doctorum votum, ut codici praemitteretur pars generalis de norma iuris, de subiecto iuris, de obiecto iuris, de negotio iuridico deque tutela iuridica, fere uti factum esse novimus in codice Germanico, et recentius in codice Sinensi; sed his votis satisfactum iri non videmus, forte ne nimis a maiorum moribus recedere novi codicis auctores videantur. Neque id improbaverim; si enim pars illa generalis aptius doctrinae, minus tamen usui vitae cohaerere videtur; codex autem huic cumprimis prospicere debet, relicta tamen doctoribus libertate rerum alia demum ratione ordinandarum.

9. Itaque codicis veteris vestigia premeus ultimus hic primis suis articulis dat dispositiones tantum de legibus generatim publicandis et adplicandis; quae dispositiones non hunc tantum codicem, sed universam normam iuris tangunt et primo libro Codicis iuris canonici apte respondent.

10. Meum non est omnia hic persequi; sed antequam finem hisce notulis imponam, facere non possum quin laudem atque gratuler, quod multa heic emendata, expolita, explicata concinnius sint, quod expresse caveatur de consuetudine (art. 6) licet obiter tantum, deque iurium abusu qui dicitur; denique quod luculentius enucleata sit ea pars quam Italia primum, duce Paschale Stanislao Mancini, in codicem reductam, docuit ceteros populos; partem,

¹² De norma iuris, §§ 214-411.

inquam, de norma iuris pro peregrinis. Hanc partem neoterici appellant «ius internationale privatum»; foede tamen et perperam, quippe quod neque e conventionibus internationalibus originem ac vim capiat sed e singulis civitatibus, neque ad privatum ordinem tantum, sed etiam ad publicum spectet, ut sunt processus ac leges poenarum; ideoque nec internationale sit nec publicum, sed civile, a civitatis organis legiferis constitutum pro peregrinis: quam ob rem id appellandum censui «ius pro peregrinis» aut «de peregrinis»; atque uti Romani praetorem peregrinis iudicandis appellarunt praetorem peregrinum, ita ego, minimus licet, hoc appellavi ius peregrinum.¹³ Hanc itaque partem, quam plurimum amavi, gaudeo satis expolitam nostro in prospectu esse; quamquam probare non possum quod in articulo 8 non nihil, et forte plus aequo, recessum sit a Manciniana doctrina, nec sine contradictione et sine causa, ob varios scilicet timores, ne dicam praepiudicia; atque in eodem articulo plus aequo indultum sit sententiis externis, nec forte sine incommodis nostri «iuri concordatarii», nec sine contradictionis censura, scatente ex articulo 87.

11. Sed de his mendis deque aliis nonnullis, quibus dudum commaculatus videtur novissimus hic prospectus, dicam alibi. Heic satis innuisse sit, non ad improbandum, non ad lamentandum, sed ad exhortandum.

Quum in priore prospectu nonnulla deprehendissem, quae plane a iure Ecclesiae, a doctrina catholica atque a germana traditione italica dissonarent, animosus adii virum quemdam, unum ex iis qui praecipuas habent in codice emendando partes, eique omnia confidenter candideque patefecerunt; qui quum omnia excepisset libenter, his me affatus est: «Errare potui-

mus, errare enim humanum est; proculdubio erravimus; sed ecquis nos docuit? ecquis admonuit?».

Fatendum aperte censeo errores illos emendatos esse in novissimo prospectu, maximam saltem partem.

12. Haec nova eademque gravissima causa nobis, tum magistris cum discipulis, esse debet, qua impellamur ad haec studia excolenda, ut lucem atque opem eis afferamus amicam, qui tam gravi, tam arduo, tam sancto legum ferendarum, civitatum ordinandarum regendarumque muneri incumbunt et auxilia undique exspectant.

Ne igitur de nobis queratur Dominus, ut parvuli petant panem nec sit qui frangat eis; sed id contendamus omnes, nullo non nisu, ubique gentium, ut quae Christus nos docet per suam Ecclesiam in secreto nostri studii, nostrae scholae, nostrae meditationis atque supplicationis, ea praedicemus super tecta; ea in omnium, procerum quoque, animos inseramus, in leges, in vitam socialem; ea fortes in fide tueamur pro aris et focus, pro cultu et religione, pro pace denique Christi in Regno Christi.

SILVIUS ROMANI.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

XIX

De propositionibus substituendis.

a) Propositionum quas hodierni «iuxtaponunt», Latini magis praecipuam in primariam convertunt; ceteras vero in propositiones subiectas aut in participia.

EXEMPLA: Caesar, nutante in fugam exercitu, *raptō* (=rapuit) fugientis e manu

¹³ De quo fusius disputavi in *De norma iuris*, §§ 412 ss., pp. 378-611.

¹ Cfr. fasc. sup.

scuto, in primam *volitans* (= volitavit), (et) praelium restituit (CAES.) — T. Manlius Torquatus Gallum *caesum* (= cecidit) (et) torque spoliavit (T. LIV.) — C. Flaminium consulem *circumventum* (= circumvenit) Hannibal (et) occidit (CORN. NEP.) — *Profectus* (= proficiscitur) cum fortissimis Philippus (et) multas Chersonensium urbes expugnat (IUST.) — *Quod quum animadverterent oppidani*, constituunt proficisci (CAES.) — Si fatum tibi est ex morbo convalescere, *sive medicum adhibueris, sive non adhibueris, convalesces* (CIC.) — Rogo itaque *hoc permittas mihi* (SEN.) — *Quantum in studiis profecerimus*, aliorum sit iudicium (CIC.) — Non dubium est *quin homines plurimum hominibus prosint* (CIC.) — *Rem non ita se habere* arbitrantur (CIC.) — *Tametsi me fateor* usurum quibusdam quae philosophorum libris continentur, tamen ea iure vereque contenderim proprie ad artem oratoriam pertinere (QUINT.) — Midae illi Phrygio, quum puer esset, *dormienti formicae in os tritici grana congesserunt* (CIC., *Div.*, 1, 36) — *Regum exitus si reputaveris*, plures a suis quam ab hoste interemptos numerabis (QUINT. CURT.) — Ranae, *timore posito* (= timorem ponunt), (et) certatim adnant (PHAEDR.) — Atticum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit (CORN. NEP.) — Si vicinus tuus equum meliorem habeat quam tuus est, tuumne equum malis an illius? (CIC.) — Caedebatur virgis civis Romanus, *quum* interea nulla vox alia istius miseri audiebatur, nisi haec: «Civis Romanus sum» (CIC.) — Eos hoc moneo, *ut* desinant furere (CIC.) — Ab illo nihil spera boni, *quia* non vult; nihil metue mali, *quia* non audet (CIC.).

b) Propositionis adiunctae locum tenere potest participium coniunctum.

EXEMPLA: Socratis morti illacrimari soleo Platonem *legens* — Veteres Peripatetici Academicique re *consentientes* vocabu-

lis differebant — Non potestis, voluptate omnia *dirigentes* (= si dirigitis), retinere virtutem (CIC.) — Caesar veteranos, *cupientes* (= etsi cuperent) iam requiescere, armavit (CIC.) — Curio ad focum *sedenti* (= quum sederet) Samnites magnum auri pondus attulerunt (CIC.) — Dionysius tyrannus, Syracusis *expulsus* (= postquam expulsus est), Corinthi pueros docebat (CIC.) — Eburones hanc *adepti* (= postquam adepti sunt) victoriam in perpetuum se fore victores confidebant (CAES.) — Athenienses Alcibiadem, *corruptum* (= quia corruptus erat) a rege, capere Cymentem noluisse arguebant (CORN. NEP.) — Mendaci homini ne verum quidem *dicenti* (= quando dicit) credere solemus (CIC.) — Quis honesta in familia *institutus* et *educatus* (= si fuerit institutus et educatus) ingenue non ipsa turpitudine offenditur? (CIC.) — Ibi vehementissime *perturbatus* (= etsi perturbatus) Lentulus tamen et signum suum et manum cognovit (CIC.) — Malum *nascens* (= quum nascitur) facile opprimitur; *inveteratum* (= quando inveteravit) fit plerumque robustius (CIC.) — Quis hoc non intellegit Verrem *absolutum* (= etsi absolutum) tamen ex manibus populi Romani eripi non posse? (CIC.) — Hunc ego diem *expectans* (= quia expectabam), M. Antonii scelerata arma vitavi (CIC.) — Bestiis ipsa terra fundit ex sese pastus varios, nihil *laborantibus* (= etsi nihil laborant); nobis autem aut vix aut ne vix quidem suppetunt multo labore *quaerentibus* (= etsi quaerimus) (CIC.) — Caesar Alexandria *potitus* (= quum potitus esset), regnum Cleopatrae dedit (EUTR., VI, 17) — Multa *agentem* atque *meditantes* (= quum agebat atque meditabatur) Caesarem mors praevenit (SUET., *Caes.*, 44) — Germani *lauti* (= postquam se laverunt) cibum capiunt (TAC., *Germ.*, 22) — Democritus divitias proiecit, onus illas *existimans* (= quia existimabat) (SEN., *Prov.*, 6) — Quis est qui totum diem ia-

culans (= si iaculet) non aliquando collinet? (CIC., *Div.*, 2, 59) — Epistolae offendunt, non loco *redditae* (= quando redduntur) (CIC., *Fam.*, XI, 16) — Renuntiant se Biturigum perfidiam *veritos* revertisse (CAES.).

c) Propositionis adiunctae locum tenere potest participium absolutum.

EXEMPLA: C. Flaminium Caelius, *neglecta religione* (= quia neglexerat), cecidisse apud Trasumenum scribit (CIC.) — *Urbe repetita* (= quum repetiisset), Octavius hereditatem Caesaris adiit, *dubitante matre* (= quamvis dubitaret), *vitrico vero Marcio Phlippo consulari multum dissuadente* (= quamvis dissuaderet) (SUET.) — Maximas virtutes iacere omnes necesse est, *voluptate dominante* (= si dominatur) (CIC.) — Haud scio an, *pietate adversus deos sublata* (= si sublata sit), fides etiam et societas humani generis, et iustitia tolleratur (CIC., *Nat. deor.*, 2, 1) — *Concitato navigio* (= quum concitatum est), quum remiges inhiuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, *intermissopulsu remorum* (= quamvis intermittatur) (CIC., *De Or.*, I, 33) — Camillus Romam ad scribendum novum exercitum redit, *nullo detrectante militiam* (= quum detrectaret) (TIT. LIV., V, 19) — Eo, *defendente nullo* (= quamvis defenderet), tamen armatis ascendere erat difficile (HIRT.) — Eclipses non ubique cernuntur, aliquando propter nubila, saepius *globo terrae obstante* (= quia obstat) (PLIN.) — Scipio, *duabus urbibus eversis* (= quia evertit), non modo praesentia, verum etiam futura bella delevit (CIC.) — *Hac oratione habita* (= postquam habuit), discedit Ambiorix (CAES.) — Omnia, *te gubernante* (= quum gubernabas), naufragia timebam (CIC.) — Reliquit animus Sextium, *gravibus acceptis vulneribus* (= quia acceperat) (CAES.) — Ranae, *timore posito* (= quum posuerunt) certatim adnant (PHAEDR.) — *Hasdrubale interfecto* (= postquam interfectus

est), exercitus summam imperii ad Hannibalem detulit (CORN. NEP.) — Dicere omnes minime esse mirandum, si, *remigibus militibusque dimissis* (= quum dimissi essent), *reliquis egestate et fame perditis, praetore tot dies cum mulierculis perpotante*, tanta ignominia et calamitas esset accepta (CIC., *Supplic.*, XXXVIII, 100) — *Causa prope perorata* (= quum perorata esset), ipse arripuit M. Aquilium (CIC., *Supplic.*, I, 3) — Hic morbus vehementius, *reliquis vivis* (= si reliqui vivunt), ingravescet (CIC., *Cat.*, I, 13, 31) — *Vobis non modo inspectantibus* (= quamvis inspectetis), *sed etiam armatis*, expelletur (CIC.).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

DE "FIDIBUS"

Placet eo magis nonnulla de fidibus hodie repetere, quod Cremonenses, sollemnibus indictis, saecularia celebranda ardentem aggressuri sint Stradivarii civis sui, qui inter celeberrimos fidium fabricatores ducentis abhinc annis iure meritoque recensetur.

Musices inter organa, recentissimae quidem inventae fides habentur. Eas praevenere testudines, citharae, lyrae, aliaque eiusmodi, quousque Normanni populi, per Europam diffusi, organa plectro ludenda secum quinto circiter a saeculo p. C. attulere. Maioris modi fidium minores ad instar fabrefactae, earumque saeculo praesertim decimosexto, organarii opifices, mensuram et rationes tuta norma statuerunt, ut earum ex ligneo corpore sonitus, suavitas, vis, variaque modulatio prodirent.

De primo huiusce organi fabro etsi sub iudice adhuc lis est, consentiunt plerique

Brixiae anno MCCCCXLIX primum fides exstructas a Ioanne Kerlino genere Armarico; circa idem vero tempus peritissimi fidium fabri celebrantur Dardellius Mantuanus, Duiffo Tirolensis aliique, qui tum in Italia, tum in Gallia ea arte vivebant.

Mox Cremonenses fabri Amati nomine, certas regulas ut fides optime perficerentur constituere: lignorum speciem, mensuras, manubrii longitudinem, colorem ad illinendum; quae omnia, experientia duce, ita praescripta sunt ut puras, suaves, sonoras voces organa haec musica efferrent. Res vero tam prospere gesta non uni fabrilis experientiae tribuenda, sed subtili quoque investigationi, qua in ausu tentando artifices ducebantur. Quinimo sonitus disciplina recens admodum protracta, postquam de fidibus exstruendis diu investigasset, magis magisque ostendit quanta sapientia Amati illi fabri in re ducti fuerint.

Post Amatam gentem, Guarneria artem eandem est prosequuta, quoadusque eo peritiae deventum est qua Maginius dulcissimarum fidium faber laudatur, una cum Stradivario, qui vim maximam vocis e fidibus elicere valuit, ac Steinerio, Bergontio aliisque non caduca unquam gloria illustratis.

Per organi caput modorum vestigia ad fines totidem lineolis primum distinguebantur, quas hodierna testudo atque cithara adhuc habent; at brevi ludentium sapientia id inutile effectum est, quinimo plectri via solutior liberiorque facta; serius autem alia quoque, sed minoris pretii innovata a ludentibus illis eximiis artificibus saeculo XVIII obortis, ut Tartinius, qui plectrum iterum produxit, quem Lullius contra contraxerat, ut discipulorum imperitiae serviret.


Itali enim plerumque musices magistri exstiterunt qui fidibus ludere scirent; haud mirum itaque si eorum seriem satis longam enumeramus fidibus ludentium; satis sit quaedam nomina commemorare. Iam

a saec. XVII Blasius Marini, Carolus Farina, Tarquinius Merula, Ioannes Fontana, Ioannes Bassani, Archangelus Corelli, Ioannes Vitali, Iosephus Torelli, Antonius Veracini, Antonius Vivaldi multa de re poemata, eaque sive in aulis, sive in theatris agenda scripsere.

Sequenti saeculo XVIII advenere Babbius Cesenas, Brunettius Pisanus, Castrucci Romanus, Fiorillo Neapolitanus, Geminianus Lucensis, Giardinus ex Augusta Taurinorum, Locatellius Bergomensis, Mestrius Mediolanensis, Campagnolius Bononiensis, Rolla Pavensis, Tartinius ille denique summus Tauriniensium decus et gloria: qui omnes pariter, praeter summam ludendi peritiam, scriptis quoque musices carminibus eximiam laudem retulere, tum suavitate, tum dulcedine, qua commoti suas paginas edidere.

Recentissimo tempore Viotti e magistro inita nova sunt, qui discipulum habuit illum nunquam victum, vel superatum fidium lusorem, Nicolaum Paganinium, cuius memoriam nulla aetas delebit. Hodie vero laus haec quoque ab Italis exsulavit, ita ut nomina hac arte maxime illustrata Joachim sint, vel Sarasate, aut Wilhelmi, aut Kubelik, vel Thomson... passim aliena.

Quo ex tempore autem musices dramata agi coepta sunt, brevi accidit ut inter organa ad concinentium voces obsecundandas collecta primum locum fides assequerentur. Ante fides citharae, et barbiti, et testudines advocabantur; at, fidibus recte exstructis, musices magistri ad eas statim confugere. Primum vero, certis tantum in dramatum locis, certa organa a scriptoribus designabantur, mox contra, auctore Monteverdio, organorum omnis pars arbitrio moderantis magistri non amplius relicta est, sed ab auctore scripto constituta, ut iuxta varios casus, qui in scena ageren-



tur, iuxta varias concinentium voces, sonituum quoque natura et vis apte modulata consentirent. Itaque factum est ut paullatim, testudine atque cithara sublata, fides earum in locum plerumque subvenirent, eaeque non una tantum specie, sed varia magnitudine fabrefactae, donec quae nunc vocatur « tetrastichum plectrum » nucleum et centrum musices nostris in theatri constituerit.

Qua de causa tamen vox fidium prae ceteris clara insonet atque pura, explanare breviter iuxta tradita ab Helmholtz, physices doctissimo viro, documenta contendemus. Lex est ut sonitus purus atque robustus diffundatur, ut simplici voci aliae simul consonent, quae « harmonicae » dicuntur. Has voces fistulae ad rem exstructae dispertuntur, metiuntur, atque in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum vibrare super simplici voce noscuntur: voces huiusmodi « harmonici » compellantur.

At qui primi in divisione sonituum designantur, consonare passim inter se exaudiuntur suaviter, postremi contra dissonare aspere: quo itaque ex primis vocibus magis ditescit organum, eo suavius concinit; ex secundis contra aspera voce resonat. Tibiae vox pauperrima uti est huiusmodi vocum, suavissima auditur; at facile inde taedium parit; humana vox huiusmodi « harmonici » multis vibrat; at fides prae ceteris organis hac copia pollent, et ad sextam, ad decimam usque musicam notam variis harmonicis canent. Maxime varia itaque fidium musice, quae summa ex suavitate, ad asperam atque robustam vim ascendit, quam si probe peritus fidium lusor edere plectro calluerit, tunc summam voluptatem eius ex arte audientes concipient.

Qui vitreas vel testaceas, vel aeneas fides fabrefacere conati sunt, operam perdidisse se brevi ac facile viderunt; idemque contigit « fidibus quadratis » Savart a doctore constructis: ita plane ut iterum inde arguerint sapientes in liberalium artium

negociis aliquid semper latere aut occurrere ignotum et obscurum, quod nulla investigatio arripit, quod satis experientia iuvatur, maxime vero flamine quodam atque intuitu, uti Amatis fabris contigit, assequendum manet.

I. ANTONELLI.

COLLOQUIA LATINA¹

XXXI.

Dies feriatus.

POLYCARPUS, IGNATIUS.

POLYCARPUS. — O dies Iovis, credibile non est quam optatus et carus illuxeris, ut alias in hebdomadas singulas. Celebritatis venustatisque plenus es.

IGNATIUS. — Pernovi cogitationes tuas. Quia lusurus es, idcirco tam amice salutas praesentem diem.

POL. — Vellem alternis revertere; non continens biduum nauseabundus tracto litteras.

IGN. — Votum asinorum; qui si loquerentur, optare se dicerent cum Polycarpo meo, ut alternis tantum dorsa onerati inciderent.

POL. — Non ego hoc solus, Ignati; complures mecum desiderant.

IGN. — Nempe sic est profecto ut dicam tibi: multi tecum magis amant catellos suos, quam studia bonarum artium, creduntque sibi dormientibus omnia confecturum Deum.

POL. — Dum latine loqui sciam modo, Aristotelem et Euclidem tibi et aliis relinquam.

IGN. — At tu ne latine quidem aliquando

¹ Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

dices, si audiendi, legendi, loquendi, scribendi quamdam perseverantiam non adhibeas.

POL. — Quorsum haec tetrica et iucunditatis omnis expertia, ut Catones aliqui fabularum! Hodie insigniter ludendum esse aio, instaurandasque vires, quas labor tam longus delassavit.

IGN. — Nec Ignatius ludum quietemque necessariam recusaverit; quin paratus sum hac ipsa hora tibi colludere: nulla tibi, hoc quidem in negotio, a me difficultas erit. Animi remissiones crebras et extraordinarias odi, siquidem honestis moribus, optimarumque artium studiis detrimentosae sunt.

POL. — Tu fac et senti quod collibuerit: mihi indulgentia vacationum nihil potest contingere gratius. Magistri viderint quid, quibus, quando indulgeant: nostrarum partium esse statuo, quod conceditur non invito accipere, quotiescumque conceditur.

IGN. — Olim cognosces te nimium luisse.

POL. — Et tu perspicies olim te nimium studuisse; quando, inquam, oculi caligabunt, ventriculus cibum male concoquet, corpus totum pallor et macies obsidebunt. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus.

IGN. — O falsidicum vatem! Haud ita me intemperanter ingurgito litteris, ut istas praedictiones formidare oporteat. Audivi etiam eruditos plurimos ad decrepitam aetatem aevum extendisse, quum assidui in libris litterisque essent volutati.

POL. — Ipse Thales ad sapientiam tuam merus nugator est! Desine philosophari: haec lux hilariter consumenda est.

IGN. — Qua tandem ratione consumenda?

POL. — Visne in prata virentia concedamus, ibique pila experiamur palmaria?

IGN. — Volo sane: utile et iucundum est hoc ludendi genus. Ascende e vestigio in conclave, et defer amborum pallia cum pila.

POL. — Ubi est pila?

IGN. — In pluteo, aut certe in capsula ductili sub mensa.

POL. — Eo ut afferam.

IGN. — Actutum redi: hic te exspecta-vero.

POL. — Illic sum atque hic sum.

ROMA SACRA

Ssmi D. N. Pii PP. XI litterae encyclicae « de Communismo atheo ».

Die XIX superioris mens Martii, Sanctissimus D. N. Pius Papa XI maximi momenti universo orbi litteras dedit «De Communismo atheo», quas valde dolemus, ob spatii angustias, integras hic referre non posse.

In iis imminente periculo delato de *Communismo bolscevico* quem vocant, eodemque atheo, «cuius peculiari propositum eo contendit, ut societatis ordinationem radicitus commisceat, ipsaque christianae urbanitatis fundamenta subvertat», revocat Pontifex quae iam inde a temporibus, quum eruditorum hominum ordines sibi sumpsere civilem cultum humanitatemque exsolvere religionis moralisque disciplinae vinculis, tum eius Decessores tum ipse efficere non destiterint, ut non modo christianae religionis sacra tutarentur, sed crebrius etiam maioreque suadendi vi, quam terrenam quamlibet publicam aliam auctoritatem, ingens idem *Communistarum* periculum monendo denuntiarent. Atque tamen quum hoc discrimen, seditiosorum hominum calliditate conflatum, cotidie magis magisque ingravescat, officio duxit suam iterum vocem efferre, confisus futurum ut eius vocis sonum «ii omnes volentes excipiant, qui, mente a praeiudicatis opinionibus libera, sincero animo humanae communitatis bonum expetant». Quam quidem fiduciam illud quodammodo auget, quod eius monita iis deterrimis fructibus confirmata videamus, quos Ille a subversorum opinionibus oriturus denunciando prospexit, quique vel reapse

in regionibus, ubi *Communistae* dominantur, formidolose increbrescunt, vel ceteris gentibus minaciter impendent. Voluit igitur Summus Ecclesiae Pastor «denuo *Communistarum* inventa atque praecepta, ut praesertim per *Bolscevisitarum* instituta rationesque proponuntur, summatim breviterque attingere atque explanare, iisdemque inventis praeceptisque, quae fallaciam redolent, perspicuam Ecclesiae doctrinam opponere; atque iterum instanter adhortari omnes ad illa suscipienda praesidia, quibus fas sit christiani nominis culturam, in qua una Civitas vere humana consistere potest, a teterrimo eiusmodi flagitio non modo liberam servare atque sospitem, sed eam etiam ad germanum assequendum civilis societatis profectum, citatius cotidie gradu provehere».

Quaenam autem doctrina, qui *communismi* fructus?

«Quae nostris hisce diebus *communistarum* doctrina praedicatur, potiore quodam modo, quam id genus placita superioribus temporibus inventa, fucata tenuiorum redemptionis specie profertur. Ac falsa quaedam forma iustitiae, aequabilitatis ac fraternae omnium in operando necessitudinis eorum praescripta eorumque molimina simulato mystico sensu ita pervadit, ut illectas pollicitationum fallaciâ multitudines, quasi acerrima contagione incitatas, vehementer inflammet; quod profecto facilius hac nostra aetate contingit, quandoquidem non aequam bonorum assignationem insueta non paucorum consequitur indigentia. Iactant, quin immo, atque efferunt falsam eiusmodi formam, quasi ex ea orta fuerit in oeconomicis rebus progressio: qua quidem sicubi revera frui licet, id procul dubio aliis de causis evenit; ut ex impensiore efficiendarum rerum industria in eas regiones inducta, quae eiusdem expertes fuerint; ut ex ingentibus, quas natura gignit, opibus, nullo ad humanitatem respectu habito, quaestuosissime excultis; ut ex eo denique, quod operarii parva mercede ad gravissimos exantlandos labores dure crudeliterque adigantur.

«Iamvero, quae *Communistae* hodie imperiunt praecepta, captiosâ interdum allicientique specie proposita, iis reapse innituntur principiis quae de *materialismo*, ut aiunt, dialectico

atque historico C. Marxius prodidit; cuius quidem disciplinae ii, qui de *bolscevismo* philosophantur, nativam gloriantur se habere unos interpretationem. Haec praescripta docent unam tantummodo esse universamque rem; materiam nempe caecis occultisque viribus conflata, quae naturae suae decursu fiat arbor, animal, homo. Humanam etiam societatem nihil aliud esse, nisi materiae speciem vel formam, quae memorato modo evolvatur, quaeque ineluctabili quadam necessitate perpetuoque virium conflictu ad supremum exitum contendat: ad societatem nempe civium ordinibus vacuum. Patet igitur ex istiusmodi commentis ipsam aeterni Numinis notionem aboleri; patet inter spiritum rerumque concretionem, interque animum et corpus interesse nihil; neque animam esse post mortalem obitum superstitem, neque ullam esse alterius vitae expectationem. Ac praeterea *Communistae* dialecticam, quam affingunt, *materialismi* viam insistentes, conflictum, de quo diximus, quique rerum naturam ad supremum exitum adducet, ab hominibus maturari posse opinantur. Quapropter id enituntur, ut discrimina, quae inter varias Civitatis classes intercedunt, acriores reddant; utque ordinum inter se conflictio, invidiarum pro dolor ruinarumque plena, progredientis aetatis sacra veluti contentio videatur: atque adeo repagula omnia, quaecumque vehementibus illis ex proposito susceptis conatibus obsistant, utpote humano generi infensa, penitus perfringantur.

«Huc accedit, quod hominem libertate sua spoliant, in qua spiritualis ducendae vitae norma consistit; itemque humanam personam dignitate sua exuunt omnique in ordine morum moderatione, qua gliscentibus ex occulto vitiorum motibus repugnari possit. Quae quidem humana persona, quum ex eorum placitis nihil aliud sit, quam quaedam, ut ita dicamus, rotula universae insertata machinationi, idcirco naturalia, quae inde oriuntur, iura singulis hominibus denegantur, communitatque attribuuntur. Ad necessitudines vero inter cives quod attinet, quum absolutam profiteantur aequalitatem, omnem, quae a Deo proficiscatur, vel parentum, auctoritatem ac hierarchiam renuunt; quoniam, ut asseverant, quidquid potestatis obtemperationisque intercedit, id, veluti e primo unoque fonte, ab societate dimanat.

Neque singulis hominibus illum ius datur possidendi vel bona vel rerum efficiendarum opes; quandoquidem, quum eadem alia bona gignant, eorum possessio aliorum in alios dominium necessario inducit. Qua profecto de causa affirmant privatum quodlibet ius mancipii, quippe praecipuum oeconomicae servitutis caput, esse omnino delendum.

«Haec praeterea doctrina, quum sacra omnia humanae vitae munia detrectet atque repudiet, consequens est ut matrimonium ac domesticum convictum ita habeat, ut civile solummodo ac fictivum institutum, quod e certis oriatur oeconomicis rationibus: quapropter quemadmodum illa maritalia connubia recusat, iuridicis moralibusque nexibus composita, quae vel e singulorum, vel e communitatis nutu non pendeant, ita indissolubile eorum perpetuitatem explodit. Ac peculiari modo, ex *Communistarum* sententia, mulier cum familia domoque sua nullo vinculo coniungitur. Iidem enim, quum feminam a viri tutela prorsus liberam praedicent, eam et a domestica vita et a liberorum cura ita abstrahunt, ut in publicae agitationem vitae communisque industriae, aequae ac virum, eam trudent; atque adeo eius focum ac prolem civili societati curanda committant.¹ Ac parentibus denique patria educandae subolis potestas eripitur, utpote quae unice sit communitati propria, quaeque idcirco huius tantummodo nomine ac mandato exerceri possit. Quorsum igitur hominum consortio evaderet, talibus, ex *materialismo* sumptis, fundamentis innixa? Consociatio profecto existeret, nulla alia auctoritate coalescens, nisi eam quae ex oeconomicis rationibus derivaretur. Atque hoc unum eidem munus esset, communi nempe opera res gignere; unumque esset propositum, terrae nimirum frui bonis in amoenissima voluptatis sede, in qua quisque «pro suis viribus laborem impertiret suum, pro suisque necessitatibus opes reciperet».

«Animadvertendum quoque est, *Communistas* societati ius etiam tribuere, vel potius arbitrium paene infinitum, communi labori singulos cives addicendi, nullo habito respectu ad proprium cuiusque bonum; quin immo, vi

¹ Cf. Litt. *Encycl. Casti connubii*, 31 dec. 1930 (A. A. S., vol. XXII, p. 567).

adhibita, vel invitos cogendi. Atque in hac eorum societate cum morum disciplinam, tum iuris temperationem nullo ex alio profitentur scateri fonte, quam ex oeconomicis temporum rationibus; ideoque eas suapte natura terrenas esse, fluxas mutabilesque. Ad summam, ut rem breviter perstringamus, novum rerum ordinem inducere contendunt, ac novam cultioremque aetatem, quae quidem ex occulto solummodo naturae cursu profluant: «hominum nempe consortionem, quae e terris exegerit Deum». Quum vero animorum dotes atque habitus, quae ad id genus communitatem efficiendam requiruntur, ita omnes assecuti fuerint, ut commenticia illa societatis forma tandem aliquando emergerit, civium ordinibus vacua, quam cogitatione effingunt, tum politica Civitas, quae in praesens ea tantum ratione conflatur, ut locupletes in proletariam plebem dominantur, rerum necessitate excidit atque «evanescent»; attamen, usque dum haec beatae vitae condicio non habeatur, publica gubernatione ac potestate *communistae* utuntur, ut potiore in omnes partes instrumento, quo propositum sibi finem contingant».

En ante mentis oculos propositam doctrinam illam, quam *Communistae bolscevici* atque athei, quasi novum evangelium, ac quasi salutarem redemptionis nuntium, humano generi praedicant! «Inventum videlicet, errorum ac praestigiarum plenum, quod veritatibus divinitus patefactis aequae ac humanae rationi adversatur; quod quum civilis consortii fundamenta destruat, socialem ordinem subvertit; quod veram Civitatis originem ac naturam verumque finem non agnoscit; quod denique humanae personae iura, dignitatem, libertatem detrectat ac denegat».

Atque tamen eadem doctrina, quam et optima studia iamdiu superarunt, et cotidiana res omnino refutant, celeriter per universum orbem propagatur. Id pluribus causis evenit; quod nempe nimium sane pauci, quid velint et quo reapse tendant *Communistae* inspicere funditus potuerunt; quum, contra, bene multi callidis eorum sollicitationibus, quas miris pollicitationibus confirmant, facile concedunt, eo magis quod ad religionis rectorumque negligentiam per *liberalismum* iam diu reducti fuerint; praeterea quod doctrina *communismi* tam nefando et acerrimo propagationis studio dif-

fundatur, quod fortasse, post hominum memoriam, inveneris nunquam.

«Quae quidem propagatio, ab uno fonte profluens, ad peculiare populorum condiciones callide accomodatur; profusus sumptibus, innumeris consociationibus, frequentissimis ex omninatione conventibus ac confertis aptisque copiis utitur; itemque, per ephemerides, per volitantes paginas, per cinematographica spectacula, per theatrorum scaenas, per radiophonicum inventum, ac denique per literarios ludos studiorumque Universitates quoslibet pedetemptim pervadit, vel praestabiliores civium ordines, qui forte virus non animadverterint, quod miserius usque mentes animosque inficit.

«Aliud validumque adiuventum, quo *communismi* doctrina provehitur, ex eo procul dubio oritur, quod magna diariorum pars, quae ubique terrarum typis eduntur, quaeque ad catholica praeepta non conformantur, rem ex condito silentio premunt. Ex condito dicimus; secus enim haud facile intellegitur, cur id genus scriptores, qui minoris etiam momenti casus tam avidè captant ac proferunt, immania tamen facinora, quae in Russiarum regionibus, quae in Foederatis Mexici Civitatibus, quae in magna denique Hispaniae parte perpetrantur, tam diu reticuerint; ac de *communistarum* secta, quae Mosquae dominatur, quaeque latissime per terrarum orbem in consociationes coalescit, tam pauca, pro rei gravitate, verba faciant. At omnes norunt idcirco magnam partem hoc evenire, quod politicae rationes, quae civilem prudentiam non omnino redoleant, id postulare dicantur; ac non minus variis occultisque viribus id foveri ac suaderi, quae iam diu christianam Civitatum ordinationem evertere conentur».

Hic Pontifex speciem magni doloris concitis verbis praebens sub oculis ponit miserimos fructus a *communismo* partos in Russia, in Mexicana republica, atque novissime in Hispania: eius generis atrocitates quae illic perpetrantur naturaliter ex disciplinae rationibus oriuntur, cuius compagem nulla omnino frena continent. Frena siquidem cum hominibus singulis, tum iure consociatis necessaria sunt; «atque adeo vel barbarae gentes naturalis legis vinculum agnovissent, Dei operam in mortaliu animis insculptae. Ubi hanc observare legem sollemne omnibus fuit, veteres vidimus

nationes talem amplitudinis splendorem attigisse, qui eos, aequo nimius, admiratione adhuc percellat, qui accurate parum humanae historiae codices evoluerint. Quando vero ipsa divini Numinis notio e civium mentibus evellitur, necessario iidem ad agrestem immanitatem ferosque mores compelluntur». Atqui nunc «primum post hominum memoriam, rebellionem videmus, diligenter inita subductaque ratione instructam, adversus «omne, quod dicitur Deus». ² Etenim *communismi* doctrina, suapte natura, cuiuslibet religioni adversatur, eamque quasi «soporiferum proletariae plebis opium» idcirco reputat, quod eius institutiones atque praeepta, quum vitam sempiternam post mortalis vitae obitum edoceant, a futurae illius beatitudinis ordine homines abstrahunt, quem in terris assequi teneantur.

«Attamen naturalis lex eiusque auctor Deus non impune spernuntur; consequens igitur est ut *communistarum* nisus, quemadmodum ne in rebus quidem oeconomicis propositum suum ad effectum deducere potuere, ita neque in posterum unquam deducere possint... Animadvertendum sane est, etiam in rebus administrandis aliquam necessariam esse probitatis disciplinam, ad quam suscepti muneris procuratio ex officii conscientia conformetur; quod quidem *communistarum* placita, ex commenticiis *materialismi* rationibus orta, procul dubio dare non possunt. Quapropter nihil aliud restat, nisi formidolosa illa scelerum coniuratio, quam in Russia cernere est, ubi veteres conspirationis contentionisque sodales mutuam sibi necem conflant; quae tamen scelerum coniuratio socialis compagis dissolutionem prohibere non valet, nedum profligatos mores compescere queat».

Postquam ita atheorum *Bolscevistarum* errores eorumque instituta, fallaciae violentiaeque plena, in sua luce posuit, iidem Pius Pp. XI veram Civitatis humanae notionem opponit, qualem ratio mentis ac divina revelatio per Ecclesiam, Magistram gentium, nos docent.

«Ac principio — ait — animadvertendum est, supra ceteras res omnes summum esse,

² II *Thessal.*, II, 4.

unicum ac supremum ens, divinum nempe Numen, quod omnipotens universae concretionis creator est, idemque omnium hominum sapientissimus ac iustissimus iudex. Per supremum hoc ens, quod Deus est, insolentes ac mendaces *Communistarum* vanitates absolutissime reiciuntur. Ac verum enimvero, non quod homines ei fidem adhibeant, idcirco Deus est; sed quod ipse revera est, fidem eidem praestant eique supplicant omnes, quotquot pertinaciter contra veritatis lucem mentis oculis non claudunt.

«Atque ad hominem quod attinet, quid catholica fides nostraeque mentis ratio doceant, Nos praecipua doctrinae huius capita explanando, per Encyclicas Litteras³ de christiana iuvenum educatione proposuimus. Eidem siquidem spiritualis atque immortalis animus inest; idemque, quemadmodum persona est mirandis prorsus corporis mentisque dotibus a summo Creatore praedita, ita reapse "microcosmos" ex veterum scriptorum sententia ea de causa vocari potest, quod inanimarum immensitatem rerum longissime evincit ac superat. Non modo in hac mortali vita, sed in perpetuo etiam mansura supremus ei finis est unice Deus; et quum per sanctitatis effectricem gratiam ad filii Dei dignitatem evectus sit, in mystico Iesu Christi corpore cum divino Regno coniungitur. Quod consequens est, multiplicia ei impertit caeleste Numen ac varia munera: ut vitae corporisque integritatis iura; ut iura itidem cum res adipiscendi necessarias, tum ad finem ultimum via rationeque contendendi, sibi a Deo propositum; ut denique iura et ineundae societatis, et privata bona possidendi, et eorum fruendi usu.

«Praeterea, ut maritale coniugium, ita eius naturalis usus ex divina ordinatione oriuntur; itemque domestici convictus constitutio eiusque praecipua munera non ex humano arbitrio, neque ex oeconomicis rationibus, sed a summo ipso omnium Creatore profisciscuntur.⁴ ... At Deus pari modo hominem ad civilem consortionem natum conformatumque voluit,

³ Litt. Encycl. *Divini illius Magistri*, 31 dec. 1929 (A. A. S., vol. XXII, 1930, pp. 49-86).

⁴ Litt. Encycl. *Casti connubii*, 31 dec. 1930 (A. A. S., vol. XXII, pp. 539-592).

quam profecto sua ipsius natura postulat. Societas enim ex divini Creatoris consilio naturale praesidium est, quo quilibet civis possit ac debeat ad propositam sibi metam assequendam uti; quandoquidem Civitas homini, non homo Civitati existit. Id tamen non ita intellegendum est, quemadmodum ob suam *individualismi* doctrinam *Liberales*, quos vocant, asseverant; qui quidem communitatem immoderatis singulorum commodis inservire iubent: sed ita potius ut omnes, ex eo quod cum societate composito ordine copulantur, terrenam possint, per mutuam navitatis conspersionem, veri nominis prosperitatem attingere; utque per humanum consortium privatae illae publicaeque animi dotes, hominibus naturâ insitae floreat ac vigeant, quae temporarias peculiareque utilitates exsuperant, divinamque praeferrunt in civili ordinatione perfectionem; quod quidem in singulis hominibus contingere ullo modo nequit. Quod idcirco etiam homini inservit, ut hanc divinae perfectionis imaginem agnoscat, acceptamque Creatori referat, laudibus eum adorationeque colens. Homines siquidem tantummodo, non vero quaevis eorum consociatio, mente voluntateque, ad morum normas liberâ, praediti sunt.

«Iamvero, quemadmodum homo officia illa repudiare non potest, quibus Dei iussu civili societati obstringitur, atque adeo publicae rei moderatores iure pollent, si idem obtemperantioni huic non legitime obsistit, eum ad officium persolvendum coërcendi; ita pari modo societas iis iuribus civem spoliare non potest a Creatore Deo eidem impertitis, quorum praestantiora supra breviter attigimus, neque eorumdem usum ex arbitrio impossibilem reddere. Quapropter e mentis nostrae ratione oritur, eidemque consentaneum est, ut terrena res omnes homini usui utilitatisque sint, ideoque per eum ad Creatorem referantur. Quam ad rem id profecto quadrat, quod Gentium Apostolus de christiana salute procuranda ad Corinthios scribit: "Omnia... vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei".⁵ Dum igitur *Communistarum* effata personam humanam ita extenuant, ut civium cum societate necessitudines praepostere subvertant, humana mens, contra, ac divina

⁵ I Cor., III, 22, 23.

revelatio eam tam sublime extollunt. Decessor Noster f. r. Leo XIII de oeconomicis socialibusque rationibus deque operariorum causa, per Encyclicas Litteras,⁶ effectrices normas edidit; quas Nos quidem, per Encyclicas item Litteras⁷ de christiana socialis ordinis renovatione, nostrorum temporum condicionibus necessitatibusque accommodavimus. In quibus Litteris, etiam atque etiam antiquissimam Ecclesiae doctrinam instanter persequentes de peculiari privatarum possessionum natura, ad singulos et ad societatem quod attinet, distincte definiteque et humani laboris iura dignitatemque designavimus, et mutuas eorum auxilii adiumentique necessitudines, qui vel rem impertiunt, vel dant operam, et mercedem denique, quae opificibus ex districta iustitia debetur, sibi suaeque familiae necessaria.

«Ac praeterea in comperto posuimus, tum solummodo hominum consortionem posse e terra ruina servari sospitem, ad quam per *Liberalismi* placita compellitur, in quibus recta morum disciplina silet, quum scilicet socialis iustitiae christinaeque caritatis praecepta oeconomicam civilemque temperationem imbuant atque pervadant; quod procul dubio neque civium ordinum inter se contentio terrorisque facinora, neque immodicus atque tyrannicus publicae potestatis usus praestare possunt. Monuimus etiam veram populi prosperitatem per rectam collegiorum consociationem procurandam esse, quae varios socialis auctoritatis gradus agnoscat ac vereatur; itemque necessarium esse omnia artificum sodalicia inter se cohaerere amiceque conspirare, ut ad communem Civitatis bonum contendere possint; atque adeo germanum peculiareque publicae potestatis munus in eo consistere, ut mutuam eiusmodi civium omnium conspersionem consensionemque pro facultate promoveat.

«Ad quem quidem assequendum per adiutricem omnium operam tranquillitatis ordinem, catholicae doctrinae praecepta tantam dignitatem auctoritatemque tribuunt publicae rei moderato-ribus, quanta necessaria est, ut divina huma-

naque iura, quae tantopere Sacrae Litterae Ecclesiaeque Patres inculcant, vigili providaque cura iidem tueantur. Atque heic animadvertendum est turpiter eos errare, qui effutiant quibuslibet civibus aequalia esse in civili societate iura, neque legitimos in eadem existere potestatis ordines. Satis esto, hac in re, Encyclicas Decessoris Nostri f. m. Leonis XIII, quas supra attigimus, commemorare; atque eas nominatim, quae vel de civilis principatus auctoritate,⁸ vel de christiana Civitatum constitutione⁹ agunt. In quibus profecto catholici viri luculenter proposita humanae rationis fideique praescripta cernere possunt, quae eos a fallacibus periculosisque *Communistarum* opinationibus liberos reddere poterunt. Iura esse, cuiusque propria, erepta, ideoque cives in servitutum redigi; primariam ac supremam Civitatis eiusque potestatis originem detrectari; ac nefande prorsus publicam potestatem sceleribus inservire, communi inspiratione perpetranda; haec omnia, dicimus, naturali morum disciplinae divinique Creatoris voluntati vehementissime repugnant. Quemadmodum civis, ita communitatis institutum ab sempiterno Numine originem repetunt, ab eoque mutua inter se ratione conformantur: non civis igitur, non humana societas potest officia illa renuere, quibus invicem obstringuntur; neque alterius iura reicere vel minuere queunt. Quas quidem praecipuas civium communitatisque inter se rationes Deus ipsemet instituit temperavitque; quapropter quod sibi *Communistae* insolenter arrogant, in locum scilicet divinae legis, quae veritatis caritatisque praeceptis innitur, politica sufficere factionum consilia atque proposita, quae simultatis plena, ex humano arbitrio profluunt, id procul dubio iniqua omnino atque iniusta iuris usurpatio est.

«Catholica Ecclesia, quum praeclare id genus disciplinae praecepta impertit, non alio utique spectat, nisi ut faustum nuntium, quem angeli, supra Bethleemiticum specum cecinere, gloriam Deo pacemque hominibus¹⁰ nuntian-

⁸ Litt. Encycl. *Diuturnum illud*, 29 iun. 1881 (*Acta Leonis XIII*, vol. V, pp. 118-150).

⁹ Litt. Encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885 (*Acta Leonis XIII*, vol. II, pp. 269-287).

¹⁰ Cf. Luc., II, 14.

tes, ad rem deducere contendat; ut veri nominis videlicet pacem verique nominis felicitatem, quantaecumque eadem ad aeternam assequendam beatitatem, vel in hac mortali vita attingi possint, comparare queat; at probe dumtaxat volentibus hominibus. Haec doctrina aequo itinere abhorret, cum ab errorum exitiis, tum ab immodicis politicarum partium, quae eosdem amplectuntur, conatibus earumdemque rationibus atque propositis; quandoquidem ut nullo non tempore rectam veritatis et iustitiae aequilibritatem proficitur, ita eandem et argumentis fulcit et in vitae actione efficit ac provehit. Idque Ecclesia consequitur, mutua inter se officia iuraque concilians atque componens; ut nimirum cum libertate auctoritatem, ut cum singulorum dignitate Civitatis dignitatem, ut denique humanam subiecti civis personam, atque adeo debitam iis, qui praesunt, obedientiam, cum eorum munere, qui divinae vices gerunt potestatis; itemque ordinatum sui ipsius, familiae patriaeque amorem cum ceterarum familiarum ceterarumque gentium caritate illa coniunctum, quae in Dei amore nititur, quorumvis patris, ex quo omnia oriuntur et ad quem omnes, ut ad finem ultimum, contendant oportet. Eadem doctrina iustam non abiungit terrenarum rerum curam ab actuosa aeternorum bonorum sollicitudine. Quodsi mortalia immortalibus bonis subiicit, ex sui ipsius Magistri sententia: "Quaerite... primum regnum Dei et iustitiam eius et haec omnia adiicientur vobis";¹¹ at longe abest ut humanas res neglegat, utque civili progressioni temporariisque commodis obsistat; quum, contra, recta ratione maioreque, qua fieri potest, efficacitate, eadem foveat atque promoveat. Ecclesia enim, quamvis, vel in oeconomicae socialisque actionis campo, definitam technicarum rerum temperationem ordinationemque nunquam protulerit, quod quidem sui muneris non est, praecipua tamen lineamenta atque praecepta edidit, quae, etsi ad effectum adduci, pro variis temporum, locorum populorumque condicionibus, aliter aliterque possunt, tutum tamen iter demonstrant, quo Civitas ad cultiorem feliciorumque aetatem gradiatur.

«Summam huius doctrinae sapientiam sum-

¹¹ MATTH., VI, 33.

mamque utilitatem ii omnes fatentur, quibus eadem reapse in comperto est. Ac iure meritoque insignes viri, publicae rei administrandae periti, asseverarunt, nihil se sapientius cernere potuisse, quum diversa oeconomicarum rationum genera perpendissent, quam illa huius disciplinae principia, quae per Encyclicas Litteras *Rerum Novarum* ac *Quadragesimo anno* proponuntur. Atque in regionibus etiam, quas vel non catholici, vel ne christiani quidem homines incolunt, non pauci agnoscunt quantopere Ecclesiae in re sociali praecepta humanae prosint societati... Vel ipsi *communista*, — quod ex certis comperimus nuntiis, qui ad hoc catholici orbis veluti centrum undecumque confluent — si modo ad corruptos mores nondum omnino prolapsi sunt, quum socialem Ecclesiae disciplinam propositam sibi habeant, eam profitentur suorum magistrorum ac capitum praecepta longe prorsus excedere. Ii solummodo, qui obcaecatam cupidinibus simultateque animum gerunt, veritatis luminibus oculos claudunt, eandemque pertinaciter impugnant ».

At Ecclesiae ososores, tametsi impertitas ab ea normas sapientia praestare agnoscunt, eam tamen insimulant, quasi ad datas institutiones vitae actionem non conformaverit; atque adeo ad alias vias rationesque contendunt. Verumtamen criminationem eiusmodi falsam iniustamque esse, Pontifex per christiana dogmata perque omnes christiani nominis annales demonstrat.

Quibus enucleatis, facile concludere licet, si Ecclesiae praecepta maternaque eius adhortamenta populorum moderatores non detrectassent, neque *Socialistarum*, neque *Communistarum* errores usquequaque serperent. Illi ex adverso quem *liberalismi* et *laicismi*, ut aiunt, principia ac normas complexi sunt, ad istiusmodi placita atque fallacias publicae rei ordinationem temperationemque ita instruxere, ut, quamvis primo oculorum obtutu aliquid magnum se effecisse viderentur, evanescere tamen pedetentim inita ab se consilia ac proposita cernerent; «quemadmodum quidquid in uno illo non consistit primario lapide, qui Christus est, necessario oportet miserrime collabi». Perneccesse itaque in praesentia est ut omni ope contendendo, opportuna remedia adhibeantur, quibus ingruenti rerum dissolutioni efficacitate summa obsistatur.

(Ad proximum numerum).

ANNALES

Foedus inter Italiam et Iugoslaviam.

Civilium eventuum maximus qui superiore mense martio intercessit fuit amicitiae foedus Italiam inter et Iugoslaviam factum, per quod plures nubes iamdiu Europae incumbentes feliciter abductae sunt. Per ipsum, ad annos quinque in initum, utraque pars promisit proprios fines se esse servaturam; quod si non provocata vis ab una aliaque externa gente intercessura fuerit, a quavis actione impetenti favorabili sese temperaturam; pacificis rationibus quodvis discrimen aut quamlibet conflictationem, quae inter duas nationes oriri posset, iri diremptum; denique quam primum pactiones ferire statuerunt, quae Italiam inter et Iugoslaviam commercia oeconomicaque sociam operam confirmare atque amplificare valeant.

Italicarum rerum administri primi iter in Lybiam.

Italicarum rerum administer primus Mussolini Lybiam italicam triumphantium prope more visitavit. Quum inde falsae suspicionis species nonnullorum diariorum exterorum opera inducta esset, Tripoli in urbe Mussolini publice orationem habuit, in qua solemniter edixit iter suum hoc sensu Caesarianum appellari posse, quod nempe nullum reconditum finem vel cupiditatis contra alium haberet: « — Cupimus — inquit — intra Mediterraneum mare et extra tranquille placideque omnino vitam nostram vivere; sociamque operam nostram omnibus offerimus, qui eandem prolaturi sint voluntatem ».

Hispanicum civile bellum.

Bolscevistarum factionis scelesti facinora eo magis crescere videntur quo magis Nationalistarum, qui vulgo nuncupantur, victoriae crescunt in dies. Neque illi dubitarunt Mauritaniae dationem Angliae Galliaeque offerre in remunerationem auxiliorum apud utramque civitatem petitorum: quae tamen recusarunt. Gallia vero, magisque Russia, licet inspectio maritimum terrestriumque finium decreta sit, hominum rerumque supplementa in favorem Communistarum mittere non cessant.

Ex aedibus Vaticanis.

Contra ipsorum Communistarum nefastam doctrinam agendique rationem, quae orbi universo innumerabilia damna minitantur, itemque de Christianae ecclesiae tristissimo statu tum in Mexicana republica tum etiam in Germania, Pii Pp. XI paterna sollicitudo singulas encyclicas litteras dedit, in quibus utrum sapientia an in gregem sibi concreditum dilectio magis admiranda sit haud facile dixeris.

Utinam salutaribus monitis audientes sint filii universi orbis, effusa super iis amplissima benedictione, quam Pontifex, suis viribus integre restitutus, Paschatis die, postquam Sacris adstitit in Vaticana basilica litatis, ex huius externo podio magnae fidelium multitudini in immensa platea congregatae impertivit!

POPPLICOLA.

Optabile est mihi praeclarum usque ad ultimam discere senectutem, quoniam nulla aetas ad perdendum sufficere potest.

S. GREG. NAZIANZ.

Vera hominis scientia est imperfectum se nosse.

S. AUGUSTINUS.

VARIA

Quanti libertas sit facienda¹

Ob easdem causas ingentibus suppliciis persaepe affecti sunt ii, qui amittendae libertatis auctores esse voluerunt. Quorum exempla quum plurima exsint, hoc loco unum tantum idque horrendum et memorabile adducam, quod in Corcyra accidit, tempore belli peloponnesiaci. Nam quum tunc universa Graecia in binas factiones divisa esset, quarum una Atheniensium, altera Spartanorum amicitiam retinere conabatur; et in Corcyra optimates superiores facti, populo libertatem semel eripuissent, factum est postea, ut populus Atheniensium auxilio adiutus denuo optimates devicerit. Itaque servitutis iugo excusso, optimates omnes in magnum quemdam carcerem incluserunt; ex eo deinde denos singillatim educentes, tamquam illos in exilium mittere vellent, variis suppliciis afficiebant. Cuius rei tandem certiores facti reliqui in carcere, decreverunt quocumque modo se a tam foedis suppliciis defendere: facto igitur impetu in eos, qui carceres ingrediebantur, illos repellebant et aditu prohibebant. Sed ea re cognita, populus, concitato tumultu, tabulatum carceribus impositum aperuit et ruina murorum universos simul suffocavit. Huiusmodi crudelitatis exempla, pro defensione libertatis, tunc plura quoque alia evenerunt; maiore tamen cum impetu solent homines ereptam libertatem vindicare, quam in eos, qui eam eripere voluerunt, fieri.

Sed non immerito possit quispiam hoc loco admirari causam, cur antiqui illi longe magis laborare videantur pro libertate publica, quam id aetate nostra fieri videamus. Ego vero ob eandem causam id fieri puto

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii* latine vertit H. BINDI. — Cfr. fasc. sup. mens. Febr.

propter quam iidem illi fortiores viri erant, quam nostri; atque illam maiore ex parte pendere ex ipsa educatione, ut religionis illorum nostraeque diversitate. Nam quum ex religione nostra veritatem rerum intueamur, discimus ex illa statim honores et pompam huius mundi contemnere. Sed Ethnici haec omnia magni faciebant, et in iis summum bonum situm esse putabant; quapropter promptiores ferocioresque erant huiusmodi rerum defensores. Id ex multis eorum institutis apparet; nam si vel eorum sacrificia cum nostris conferas, in illis magnificentiam quamdam horrendam, in nostris delicatam quamdam mollitiem cernes. In illis pompae et magnificentiae caedes multorum animalium adiungebantur, qui terribilis adspectus homines etiam feroces reddebat; nostra his omnibus caret. Ethnicorum religio non reddebat homines beatos aliis rebus, quam gloria et laude virtutis, pro rebus bene feliciterque in bello aut pace gestis; ex nostrae religionis institutione, beatiore putantur humiles et qui rerum divinarum contemplatione dediti sunt, quam qui res magnas gesserunt. Summum praeterea bonum statuit in humilitate et contemptu rerum huius mundi; Ethnici omnia contrario modo se habere credebant; nam summum bonum existimabant in magnitudine animi positum esse, et corporis viribus ceterisque omnibus quae a fortissimis viris fieri solent. Haec vitae institutio Christianum orbem imbellem fecisse videtur, ut sceleratis et perfidis principibus certa praeda esse soleat. Nam plerique mortalium spe vitae beatae cogitant potius de tolerandis iniuriis, quam de iisdem vindicandis, tamquam si oporteret caelum sine armis ullis solo otio comparare. Sed non caret errore ista Religionis nostrae explicatio; et qui illam ita sunt interpretati, abiecti homines fuere, quibus otium potius quam virtus cordi fuit. Nihil enim religioni Christianae adversatur patriae defensio, imperiique eius per legitimum modum au-

ctio: permittitur omnibus patriam amare, in honore habere, et ad illius defensionem se praeparare. Sed inepta illa educationis ratio effecit, ut si universum orbem aetate nostra percurras, neutiquam tot populos, liberas respublicas, ut olim erant invenire queas, nec homines libertatis amatores, atque eiusdem acres defensores.

(Sequitur)

Asini lapsus.

Asini post longam et probatam servitutem suam et multas onerum atque baiulationum egregias operas, quodam tempore, sub valde gravi onere, quum ad saxum improvisum offendisset, in via cecidit. Tum accurrit agitator, et acerbissimis verbis atque vehementibus etiam plagis illum petit. At asinus secum et suam conditionem deplorare et accusare ingrati domini saevitiam, qui oblitus omnium priorum, ob unam fortuitam offensam tam graviter se affligeret.

Fabula significat interdum homines quid quoque tempore fiat, non quid aliquando factum sit, spectare, et unum saepe delictum memoriam multorum egregie factorum inducere ac delere.

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Oryza odoratis tuberibus condita.

Vitulinae costulae frixae.

Femur suis in clibano decoctum.

Cynarae scolymi Iudaico more comparati.

Scriblitulae aqua vitae Iamaica madidae.

Iocosa.

Hos paucos ante dies, Mamercum et Pescennium ita inter se colloquentes audivi:

— Placetne, Pescenni, amicorum exoptatissime, ut in crastinum, feriatum utriusque diem, una simul Tusculum, animi relaxandi gratia, excurramus? Quod ad sumptus attinet, qui erunt in id faciendi, nulla, precor, sollicitudine afficiaris; non nihil namque ad rem, ut par erit, et ego conferam. Tu equidem hoc tantum subibis oneris: ut videlicet automatariae raedae, ad itum reditumque necessariae, conductionem solvas; ut obsonatori, qui cenam ornabit, satisfacias; ut denique liberale aspergas mensae ministris corollarium.

— At quidnam reliquum tandem est, quod ipse, ridiculum caput, ut spondisti, conferas?

— Cibi, edepol, appetentia, opportunitati consentanea!

A. T.

Aenigmata.

I

*Anterior pars scit dulci condire sapore:
semper ait, nunquam pars negat ulterior.
Has iungis partes? Tibi fertilis insula surgit,
quam maris Interni caerula lambit aqua.*

II

*Prima quidem te pars hortatur nare, secunda
num tibi quid libeat, comiter usque rogat.
Traicit hinc oriens totum — ne scandere cessa! —
flumineas undas, traicit aequoreas.*

F. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Onus*; *Sonus*. — 2) *Eges*; *Seges*. — 3) *Parus*; *Sparus*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonensis,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.
Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS